

1  
2  
3  
4  
5  
17  
1  
24  
3



1704.

1. <sup>1.</sup> <sup>6.</sup> <sup>c.</sup> Frommann, Joh. Ruden: De commissariis militibus Vex. Crisp. - commissariis. 3 Sampl.
2. Frommann, Joh. Ruden: De revocatione privilegiorum Civita.
3. <sup>2.</sup> <sup>6.</sup> <sup>c.</sup> Gramm, Michael: De resolutione testis facta. 3 Sampl.
4. Harpprechtus, Ferdinandus Christophorus: De arripa statoris materico, que constituen do.
5. Harpprechtus, Ferdinandus Christophorus: De renoua lionis supremae voluntatis

1705

1. Frommann, Joh. Ruden: De exheredatione testorum bona mente facta.
2. <sup>2.</sup> <sup>6.</sup> <sup>c.</sup> Gramm, Michael: De negotiatione creditorum prohibita. 2 Sampl. 1705. 1742.
3. Harpprechtus, Ferdinandus Christoph: Sententiam octo. de cum hypothecarum vel indebitis spuarum, vel summe dubiarum.

1705

4. Harpprechtus, Ferdinandus Christophorus: *Trubina*  
*Rh. pignorum tacitorum, vel indubie spuriorum,*  
*vel summe dubiorum.*
5. Harpprechtus, Ferdinandus Christophorus: *Remedium*  
*legis, si quis maior XL. Cod. de haereditibus.*
6. Harpprechtus, Ferdinandus Christophorus: *Differentiarum*  
*juris communis et Wuertembergici continuatio*
7. Harpprechtus, Ferdinandus Christophorus: *De transiitione*  
*jurata.*
8. Harpprechtus, Ferdinandus Christophorus: *De resectione*  
*juramenti delati*
9. Harpprecht, Stephanus Christophorus: *Specimen in dogmaticis*  
*juris prudentiae universalis et Romanae particularis, quoad*  
*statum libertatis*
10. Schroederus, Gabe: *De alienatione bonorum fidei*  
*commisso obnoxiorum.*


1768.

11. Schuederus, Gub: de breuissimorum cantuum  
Palatinorum Rheni singularibus partibus ac prae-  
rogatis. proaequis.

1. ...  
 2. ...  
 3. ...  
 4. ...  
 5. ...  
 6. ...  
 7. ...  
 8. ...  
 9. ...  
 10. ...  
 11. ...  
 12. ...









UNIVERSITÄT IN ADOR ALI  
Public  
COMMISSARIIS  
MILITARIBUS  
COMMISSARIEN  
ACADEMIAE  
TUBINGENSI  
PRAESIDE  
DN. JOH. ANDREA FROMMANNO  
P. U. D. Inhib. Professori Publico  
PRO LICENTIA  
HABERE IN UTROQUE IURE NOBILITATIS  
DOCTORATA  
FRANCISCO CAROLO HOERMANNUS  
TUBINGAE  
MDCCLXXV



872



24  
2. D. D. v. G. 20. num. 15. 1704. 7.

DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS

De

1704 30  
SOLUTIONE TERTIO FACTA.

Quam

Ex Decreto & Autoritate

AMPLISSIMÆ FACULTATIS JURIDICÆ, 7

PRÆSIDE

DN. MICHAELE GRASSO, J.U.D.

Cod. Novell. & Crim. Sanct. P. P. O. &

Confiliar. Württembergico,

Patrono ac Præceptore suo ætatem suspiciundo,

PRO LICENTIA

Summos in utroque jure honores & privilegia legitime capessendi;

d. April.

IN AULA NOVA,

Publicè & Solemniter defendet

GEORG. ADOLPH. CAROC.

Gryphisw. Pomeran.

TUBINGÆ, Anno MDCCIV.





Summi Regii Tribunalis Wismariensis  
*Eminentissimo Domino PRÆSIDI,*

*Illustrissimo Domino*

**DN. LIBERO BARONI  
DE**

**ROSENHAHNE,**

Dynastæ in Tyſta, Marieberg  
& Nynas &c.

*Domino ſuo gratioſiſſimo.*

Nec Non

Alte memorati Tribunalis

*Magnifico & Generoſiſſimo Domino*

**VICE-PRÆSIDI**

*Ceterisque Generoſiſſimis & Ampliſſimis Dominis*

**ASSESSORIBUS**

Divini humanique juris Antistibus meritissimis,

*Patronis ſuis gratioſis ac ſarventiſſimis,*

Disputationem hanc Inauguralem

*ſubmiſſe ac devote dedicat*

RESPONDENS AUTHOR.

ILLUSTRISSIME DOMINE PRÆSES,  
Domine Gratiofissime.

*Magnifice Domine VICE-PRÆSES caterique Genero-  
fissimi & Amplissimi Domini ASSESSORES,  
Patroni gratiosi ac faventissimi.*



Uanquam non leviter dubitaverim, num VESTRÆ Illustrissimæ Excellentiæ, VESTRIS-  
que Generositatibus ac Amplitudinibus exi-  
guam hanc chartam dedicarem, cui utut forte à materia,  
certe ab opere ejusque authore nullum est pretium: ta-  
men in contrarium VESTRÆ gratiæ & benevolentiæ cu-  
pidum animum stimulavit voti mei ratio, quæ illustri,  
quod ad exemplum geritis, & quo justitiæ quotidie li-  
tatis

tatis ; muneri non male convenire videbatur. Cum enim ea fitis veræ nec simulatæ Jurisprudentiæ lumina, eaq; decora, ut quicquid ad illius cultum, quicquid ad casuum factorumq; decisionem pertinet, rectius quam ad Summi VESTRI collegii tanquam divini humaniq; juris oraculi judicium deferri non possit, sane existimavi, à temeritatis culpa absolvi me posse, si meos in legum studio quæsitos profectus specimine quodam inaugurali ostensurus, aliorumque gratiofo & benigno favori commendaturus, eundem præsentis Differtationis dedicatione à VESTRA Illustrissima Excellentia, VESTRISq; Generositatibus ac Amplitudinibus, maxima qua par est submissione ac veneratione expeterem. Ignoscite itaq; Domine Gratiofissime, Patroni gratiofi ac faventissimi, meo conatui, & finite, ut hac simul occasione VOBIS appareat, an talis homo fim, aut fieri aliquando possim, cui gratiofissimo & benigno VESTRO indultu ad praxin litiumq; patrocinium aspirare liceat. Quod si fati & tenuitatis meæ ratio permittet, satis

fatis ero fortunatus , dummodo de VESTRA gratia  
VESTROque magno favore securus esse jubear , idque  
ut à VOBIS impetrem , submisſe ac devote contendo ,  
quicquid venerationis , & obſequii proficiſci à me po-  
terit infima mente manūque mancipaturus. DEUM  
quoque veneror , Eumque indefinenter venerabor , ut  
ſummum , quod repræſentatis , juſtitiaꝝ tribunal Opti-  
mi REGIS , inviſiſſimi Suecorum Monarchæ , auſpi-  
ciis in ea , qua ubique claret , gravitate dignitate au-  
thoritate optime conſervetur. Faxit Idem Numen , ut  
omnis ac perpetuo duratura felicitas VESTRAM Illu-  
triſſimam Excellentiam , VESTRASque Generoſitates  
ac amplitudines harumque ſingulas Illuſtres ac ſplen-  
didas domus habeat , teneat , poſſideatque.

VESTRÆ ILLUSTRISSIMÆ  
EXCELLENTIÆ

VESTRARUMQUE GENEROSITATUM  
& AMPLITUDINUM

*Tübingæ d. XVI. Apr.  
MDCCIV.*

ſubmiſſus ac devotus cultor  
GEORG ADOLPH CAROL.





Q. D. B. V.

DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS  
De  
SOLUTIONE TERTIO vel EXTRANEO  
FACTA.

§. I.



Ntequam rem ipsam aggrediamur, duo quidem admonenda veniunt, partim, quod vocabulum *solutionis* generaliter à nobis accipiat, quatenus scilicet ad omnem actualem præstationem & dationem ejus, quod debetur, pertinet, magisque ad substantiam obligationis refertur, quam ad nummorum solutionem, prout loquitur Paulus in *l. 54. §. de Solut.* vid. Hahn. ad *Wesemb. d. t. n. 1.* Müller. ad *Struv. d. t. th. 67. lit. a. & ad th. 68. lit. 7. in fin.* partim quod *tertius*, cujus alias in significato juris publici pariter ac privati pro casuum & materiarum varietate varia est acceptio, vid. Dn. Fritsch. *tr. de Jure Tertii* Dn. Rhet. & Dn. Cocceji. *disp. de jure tert.* hoc loco denotet illum, cui nullo jure, sive ab initio sive ex postfacto quicquam debetur aut præstari oportet. Hinc patet, nomine *tertii* nobis jam non venire non solum correum, delegatarium, cessionarium, assignatarium, aliumve, qui in locum primi credito-

A 2

ditoris successit e. g. heredem fiscum, sed & illum, qui jure reali, e. gr. domini solutionem ejus, quod ex conventionem de re sua cum alio etiam valide inita vid. Struv. *ad tit. π. Commod. lib. 5.* præstandum, vel restituendum est, postulat. Hic enim quamvis eum, qui solvere tenetur, propriè loquendo obligatum non habeat, qua de re prolixè egit Excell. Dn. Præfès, Patronus & studiorum meorum Promotor indelebili pietatis & observantiæ cultu prosequendus in *Position. Contror. ad L. 3. Instit. part. poster. lib. 2.* tamen, quia ut dominus rem suam à quolibet possessore rectè vindicat, planè extraneus dici nequit, & consequenter à possessore, sive judicialiter sive extrajudicialiter interpellato, in solutione etiam illi, cui quidem vi contractus ex gr. commodari, depositi, locati, pignoratitii res supervenientis domini restituenda erat, merito præfertur. arg. *l. 31. π. Depos. Cicero de off. Seneca de Benef. L. 4. c. 10. Grot. de jure Belli & Pacis L. 2. cap. 9. §. 1* vid. Molin. *de I. & I. tr. 2. D. 498. num. 1. in fin. & Dd. apud Barbos. ad l. 25. Cod. Locat. num. 12.* Nec obst. *L. fin. Cod. de Acquir. vel Amitt. possess.* Loquimur autem de eo casu, quo jus petitoris liquidum, notorium atque evidens est. Sed cum de hoc non facile satis constare possit alieno nomine possidenti, semper tutius erit, ut ille, auctore suo ex *l. 2. Cod. Ubi in rem al. nominato, rem ipsam retineat, maxime iis in locis, in quibus dominus non simpliciter adversus possessorem, sed tunc demum si hic ab illo causam habeat, vi paroemiæ, Hand muß Hand wahren* (qualem & Suedi habent, dum dicunt *Hand skal Hand följia* teste Loccen. in *Synops. jur. Sued. Diss. 12. quest. 5. & in Exercit. ult. coroll.*) agere potest, in cujus juris iustitiam sollicitè inquirat B. Dn. Mev. in *Comment. ad Jus Lubec. L. 3. t. 2. art. 1. seqq. Hahn. ad Wesemb. tit. Commod. n. 7. in fin.* B. Dn. Gerdes. *de Different. Jur. Comm. & Lubecens. Dn. Hertius. de Param. Jur. Germ. L. 1. Param. 18.*

## §. II.

Hiscæ præmissis ipsius tractationis initium faciamus. Duplex

plex autem hic occurrit inspectio, I. an & quibus in casibus solutio fieri tertio possit? 2. Quosnam illa jam facta juris effectus pariat? Quod priorem quaestionem attinet, primò regulam, hac vero explicata atq; ampliata, exceptiones considerabimus. Regula est: Tertio vel extraneo rectè & efficaciter ad effectum juris, liberationis scil. consequendum solvi nequit. §. 10. *l. Mand. l. 12. C. de Solut.* Cujus rationem in sinuat ipse Imperator in *d. §. 10. in fin.* quod scil. tertius non sit is, cui ex obligationis natura legumque præscripto solutio fieri debuit, h. e. non sit creditor, neque talis, qui facultatem solutum recipiendi & recipiendo liberandi sive ex voluntate creditoris, sive ex juris dispositione accepit. *l. 49. l. 34. §. 4. π. de Solut.* Accedit generale illud juris axioma, quò traditur, id, quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non posse. *l. 11. π. de R. I.* quæ non tantum de eo, quod jure proprietatis aut ex juris in re specie, sed & quod jure obligationis ad nos spectat nobisque debetur, accipienda est, rectissimè ita advertente Viro plurimum venerando & Excell. Dn. D. Mascovio, Patrono & Præceptore quondam meo ætatem suspiciundo in *comment. ad cit. l. 11. §. 3. add. l. 39. π. de Negot. Gest. l. 8. §. 5. in fin. π. de Novat.*

## § III.

Ampliatur in §. præced. tradita regula, quod procedat, etiamsi tertius *l. publicè & bona fide falso tamen se gerat pro vero creditore*, vel hujus procuratore, speciale ad solutionem recipiendam mandatum habente, indeque à debitore pro tali, cui solutio rectè fieri potest, reputetur. *l. 34. §. 4. de Solut.* Est enim credulitas culpa quædam, quæ alii quam qui illam commisit, nocere non debet. *l. 11. Cod. de O. & A.* Neq; æquitatis prætextu debitor se tueri potest. Agitur enim hic de jure alteri quæsito; quod ut sine justa causa auferatur, omnis æqui bonique ratio vehementer prohibet, & quicquid ex altera parte æquitatis speciem habere possit, vincit superatque.

Conferat. *Mev. P. 5. D. 19. in fin. & D. 294. in fin.* Et hinc est, quod hæres putativus hæreditatem alienam vel pro hærede vel possessore possidens sicuti debitores hæreditarios convenire nequit *l. 31. §. 4. π. de H. P.* ita nec ab his solutam pecuniam rectè & cum effectu liberationis accipiat per *d. l. §. 5. l. 25. §. 17. Eod. l. 34. §. 9. π. de Solut.* ubi expressè dicitur, debitores tunc demum, si possessor exactam pecuniam petitori restituerit, liberari propter *l. 61. π. de Solut.* vid. infr. §. 14. Fr. Nig. Cyriac. *L. 2. controv. For. 236. n. 24.* Planè si hæredi in testamento inofficioso instituto post aditam hæreditatem, ante tamen motam querelam solvatur, nil ob stare videtur, quo minus illi rectè facta solutio dicatur. Est enim verus hæres & creditor, adeoq; id quod solutum est, solutum durat liberatione omnimodo secuta, utique vel testamento plane non impugnato vel actore in lite succumbente. At vero, rescisso per querelam testamento, liberationis effectus duraturus non est. Eviçta enim hæreditate per querelam inofficiosi omnia perinde observari debent, ac si hæreditas adita non fuisset *l. 21. §. fin. π. de inoff. test.* Consequenter uti adita hæreditate illarum actionum, quæ inter defunctum & in testamento inofficioso scriptum hæredem competebant, inducta confusio hæreditate ex causa inofficiosi eviçta rescinditur, eaque rescissione actiones invicem restituuntur, ut utrobique integra sit debiti petitio & compensatio *d. l. 21. §. fin. l. 22. Cod. d. 1. conf. l. 2. §. 1. in fin. π. de condit. indebit.* ita quoque & nostro in casu hæredi legitimo victori actiones adversus debitores hæreditarios salvæ erunt, quippe qui tunc demum ipso jure liberati censentur, quando soluta possessori pecunia ad petitorum sive ad hæredem verum pervenit per modo tradita. Quamvis autem scriptus in inofficioso testamento hæres ab initio, subtilique jure spectato, veri hæredis locum tueatur; tamen testamento ex post facto per sententiam rescisso & hæredis institutione ita penitus enervata, titulus hæreditatis ad non titulum redit, adeoque effectu juris considerato non aliter considerari potest, ac is, qui hæreditatem pro hærede vel pro possessore pos-

possedit *l. 1. Cod. de inoff. test. & ibid.* Sichard. & Brunn. conf. tamen *l. 90. n. de Solut. & quæ pro ejus intellectu scripsit Bar-nab. Brisson. de Solut. & liberat. l. 1. pag. 33.* Cæterum quin hæredi creditoris recte solutio fiat, nullum est dubium, cum ille defunctum representet, & in jus obligationis succedat. Idque adeo verum est, ut aliquando & deliberanti adhuc dum hæredi facta solutio rata sit *l. 6. n. de jur. Delib.* imo & instituto deliberante, facta substituto liberationem pariat, dummodo ad hunc hæreditas postea devoluta sit. *l. 96. §. fin. ff. de Solut. vid. Duaren. ad tit. de Solut. c. 5. in pr. & quæ nos ex illo infra notabimus §. 15.* Porro, id quod de creditore & procuratore putativo supra diximus, patitur limitationem in eo, qui ex justa credendi opinione cum culpa creditoris conjuncta solvit. *Mev. P. 3. D. 174. seqq. Brunnem. ad cit. l. 34. n. de solut. num. 5. & 6.* & ita quoque Judici Bahlingensi ab in-clyta Facult. Jurid. Tübing. d. 24. Mart. Anno 1693. respon-sum fuit in casu, ubi rustici quidam bona fide solverunt for-tem ein Capital von 215. fl. Præfecto suo ihrem Ampts. Vogten nomine creditoris, sed sine mandato exigenti, eamque pe-cuniam in suam utilitatem postea dolose vertenti, creditrici hoc non significato, sed per aliquot annos usuras de suo, no-mine tamen debitorum solventi. Et quidem inprimis seqq. circumstantiæ perpense fuerunt. 1. Conditio debitorum, ru- sticorum scil. quorum simplicitati subveniendum. 2. Bona fides solventium. 3. Conditio exigentis, Præfecti scil. sui. 4. Jussum ejus, jurisdictionem suam quasi ad creditricis implora- tionem exercentis & de solutione admonentis. 5. Insimul affinis & amici creditricis, qui ad illius rogatum per aliquot annos usuras ex ea sorte exegerat, eique reddiderat. 6. In aliis negotiis ab ea adhibiti nomine litis curatoris, als Vey- stand/ Kriegs- Vogt uind Gewaltshaber. 7. Producentis apo- cham pro debito, quod exegerat, creditoribus extradendam, à creditrice ut & à Præfecto tanquam à litis curatore sub- scriptam, insimul defuncti mariti sigillo roboratam. 8. Inde vel tacitum ad recipiendam solutionem mandatum. 9. Cul-

pa

pa creditricis, quæ fidem falli hujus procuratoris magis exploratam habere potuit debuit, & nimis credula fuit in committendis negotiis, &c. Ob quas & similes circumstantias, æquius judicatum fuit, ut debitores probabili admodum ratione ad solvendum ducti, saltem opè exceptionis liberati pronuntiarentur. vid. omnino B. Dn. Lauterbach. *disput. de Nuncio thes. 48. 49.* Sola tamen chirographi exhibitio non sufficit, nisi forte illud ita conceptum sit, ut quisvis bonæ fidei possessor, ein jeder gerreuer Beseßs-Unthaber pro creditore habendus sit. vid. *Mev. P. 4. D. 112.* Tali enim in casu pro qualitate circumstantiarum possessori chirographi, in bona fide constituto aliquando solvi poterit. Vid. omnino Freyer. *de Solut. cap. 3. seqq. junct. §. 59. Lauterb. cit. th. 18. in fin.*

II. *Sit creditoris socius omnium bonorum.* Hic enim quemadmodum ex contractu socii proprio nomine inito nullam sibi querit obligationem B. Dn. Lauterb. *de Oblig. Socior. ex convent. cum extran. init. §. 30.* ita quoque pecuniam à debitore sibi, tanquam tertio, solutam, frustra recipit, etsi illa sit talis, quæ in communicationem veniret, præsertim cum nec res pluribus communis uni soli recte solvatur *l. 2. π. solut. matrim. l. 34. §. 6. π. de solut.* B. Dn. Lauterb. in *disput. de solut.* ibique Brunnem.

III. *Sit generalis creditoris negotiorum extrajudicialium gestor spontaneus, l. 31. §. 6. in fin. τ. de N. G. d. l. 34. §. 14. Mev. P. 2. D. 260. vid. l. 58. τ. de Solut.* B. Dn. Lauterb. in *disput. de solut. th. 16.* Non. obft. *l. 88. τ. de Solut.* quam de Pro-tutrice explicat Brunnem. *ad leg. cit. 88.* Alia est ratio procuratoris extrajudicialis universalis. Nam huic ex voluntate creditoris recte solvitur *d. l. 34. §. 3.* etsi non habeat mandatum cum libera. *Molin. de I. & I. Tr. 2. D. 563. num. 3.*

IV. *Sit persona creditori conjuncta vel subjecta.* Frustra enim solvitur creditoris *I. Servo & filiof. quæ tali l. 9. in fin. l. 22. τ. de solut. l. 6. Cod. de Pat. vid. Struv. ad tit. τ. de solut. th. 72.*

ib. 72. in fin. ibique Müller in *Add. lit. n. Br. ad cit. l. 22.* quem-  
admodum è contra nec id quod filio debetur, patri vel ma-  
tri qua tali solvi potest. *l. 2. n. ut legat. seu fideicom. nom. cav. II.*  
*Uxori & marito qua tali l. ii. Cod. de Solut.* Diximus quã tali.  
Nam si maritus cum uxore in societate bonorum conjugali  
vivat, distinguendum est, an conjugibus quid debeatur pro-  
prio an verò societatis nomine. Priori in casu repetendum  
est id quod supra diximus, nec omnium bonorum socio id  
quod alteri suo nomine debetur, solvi posse. Posteriori in  
casu marito recte solvitur, quia hic jus administrandi habet.  
De marito uxoris curatore. vid. infr. *III. domesticis.* Exceptionem  
vid. ap. Müller ad Struv. *l. c. lit. a. p. 653. IV. judici.* Potest tam-  
men ad decretum judicis apud hunc pecunia alteri debita de-  
poni, eo quidem effectu, ut deponens, et si ille solemnitates,  
quæ alias ad depositum juris voluntarium requiruntur, non  
præcesserint, tamen à creditore amplius conveniri nequeat.  
*Mev. P. 5. D. 243. & 244.* Excell. Dn. Harpprecht. Patronus  
ac Præceptor meus ætatem devenerandus in *Cons. 70. n. 79.*  
& seqq.

## §. IV.

Sequuntur nunc exceptiones, quas regula hætenus ex-  
plicata & ampliata patitur. De his vero ut eò plenius & di-  
stinctius agatur, duo casus separatim considerandi nobis erunt.  
Aut enim quis I. belli, aut verò II. pacis tempore solvit. Dividi-  
tur enim omnis vita in negotium & otium, bellum & pacem  
verbo Aristotelis *L. 7. Polit. 14.* juncto *L. 1. c. 3.* ubi idem dixe-  
rat, vitam civilem tributam esse in usum belli & pacis. Si tem-  
pore belli solutio sit facienda, nobilis incidit quæstio, an hosti  
recte solvatur id quod debetur creditoribus? Nobis quidem  
videtur melioris explicationis gratia distinguendum hic esse,  
an creditores sint ex hostium, an verò ex devictorum numero.  
Primo in casu Principem suum subditum, qui hosti ex con-  
tractu scil. ante bellum cœptum inito debet, ad id non ho-  
sti, sed sibi vel etiam aliis solvendum minimum jure, ut vo-  
cant,

cant, externo cogere posse, eò minus dubitandum, quo magis in statu belli etiam singulorum res in territorio hostili occupare, corrumpere & vastare licet. Cui, maximè si debitum sit publicum accedit ratio suasoria, quæ ipsius pacis reducendæ causa non permittit, ut hostium vires acceptis pecuniis augeantur. Nam pecuniarum & frugum penuria bellum minuit, quantum auget copia, inquit Osiander ad Grot. III. 12. 1. Nec dubitandum est, quin debitor tali in casu solvens verè liberetur, quoniam is, qui ad mandatum sui Principis tertio solvit, amplius non est obligatus, de quo infra pluribus. Quæ cum ita sint, sane pace facta pristinus creditor secundam solutionem difficulter obtinebit; quæ etiam Belgæ nomen suum fisco hostili solutum à creditore Gallo petenti arresto Parisiensi de anno 1559. denegata fuit, teste Papon. in *Arrest. Regn. Franc. L. 5. t. 6. arr. 2.* Imò foret aliquando tabulis pacis expresse caveri, ne debita publicata vel fisco hostili soluta amplius peti possint, uti factum in pace Madritensi *art. 31.* Vervinia *art. 7.* Pyrenæa *art. 20.* Hispano-Belgica de anno 1684. *art. 55. &c.* Secundo in casu interest, an debitor sit publicus an verò privatus. Ille Principi victori vel etiam hujus cessionario sive liberè sive coactè sive verè sive fide, scil. remisso debito, recte solvit, non quidem ut tertio, sed ut vero creditori. Talis enim effectus ille est jure victoriæ, vi cujus etiam nomina publica victori acquiruntur. Grot. III. 8. 4. Pufend. de *I. N. & G. VIII. 6. 22.* B. Dn. Lauterbach. *l. c. tb. 24.* Alia est quæstio, an si loca capta, in quibus solutio contigit, pristino domino restituantur, solutio denuò sit facienda. Ex facto tractat hanc controversiam Matthæus de Afflict. in *Decis. Neapol. D. 150.* ubi quærit, an id quod regno Neapolitano à Rege Gallie occupato, huic à debitoribus Regum Neapolitanorum solutum erat, Carolo iterum puiso jure exigì possit? Quanquam autem nominatus author ad propositam quæstionem decidendam varias afferat distinctiones ex jure civili desumptas: hac omnes tamen nostras facere veremur, cum Matth. de Af-



Afflictis solutionem hosti male factam præsupponere, adeoque de casu nostro planè contrario agere videatur. Nam præterquam quod in cit. decisione Carolus pro tyranno reputetur, solutio huic facta casibus fortuitis ibidem accensetur. Id verò fieri non potuisset, si Matth. de Afflictis solutionem recte contigisse existimasset. Neque enim id quod proprio jure fit, pro casu fortuito haberi debet. Conf. Dn. Coccej. in *disp. de Amnest. & Postlim. in Pac. Sect. 3. §. 12.* ubi citat. decisionem acriter perstringit. Addit simul laudatus Vir eximius, jure postliminii solutionem à debitore qui hosti recte solvit, denuo exigì posse. Quod tamen an tutò admitti possit, dubitamus, quia creditum maximè per justam solutionem jam extinctum (de quo nobis hic sermo est) non est ex eorum numero, quæ postliminio redeunt, judice Grot. III. 9. 9. Quemadmodum enim res mobiles postliminium non habent, ita nec nomina & actiones, quæ illis rebus accensentur. Conf. omninò B. Dn. Simon. *disp. de Postlimin. lib. II. §. 24.*

Debitor privatus victori, qui non est creditoris cessionarius, vel coactè vel liberè solvit. Priori in specie quemadmodum hostis procul dubio injustè agit, capta urbe id quod victo nunc subdito vel concivi debetur extorquens, propterea quod nomina singulorum civium devictorum in hostem planè non transferantur, sive chirographum sit occupatum sive non, Dn. Coccej. in *disp. de jur. victoria diverso à jure belli lib. 33.* Lauterb. l. c. ita quoque facilè apparet, quod violentia hostilis debitori illata jus creditoris intervertere nequeat, adeoque non hic, sed ille casum istum fortuitum ferre, iterumque solvere teneatur. Quod multò magis posteriori in specie, quà debitor ex sua voluntate hosti tanquam tertio male solvit, verum est, utique si est debitor generis. Nam si speciem, e. gr. rem depositam hosti coactè tradat, nec mora præcesserit, omninò liberabitur. B. Dn. Lauterb. l. c. in fin. Illud quoque adjiciendum est, quod de-

bitor privatus hosti, capta urbe, coactè solvens actionem quod metus causa vel conditionem ob injustam causam salvam habeat, nisi pax sub lege amnestiæ sit inita, vel etiam, urbe tempore belli restituta, injuria civibus illata speciali pacto sit remissa. Quo tamen non obstante, creditor solutionem exigere poterit, quia remissio injuriæ saltem tollit jus debitoris contra hostem, non verò jus creditoris contra debitorem. Aliter sese res habet, si in Instrumento pacis sit dispositum, ne ipsi creditores privati nomina in locis captis fisco addicta amplius petant, uti factum in pace Noviomagenfi inter Imperat. & Regem Galliæ inita *art. 24.*

## §. V.

Si tempore pacis solutio sit facienda, rursus distinguendum est inter debitorem publicum & privatum. Ille est in triplici differentia. Nam aut debet I. Reip. propriè & excellentè sic dictæ. Quo casu, si certa statio creditrix sit, deficiente mandatario speciali susceptori illius stationis cum effectu liberationis, etsi versio in rem non probetur, restitutè solvi constat. Imò si susceptor solutionem recipere injustè & frivole recuset, locus est dispositioni *l. 1. Cod. de suscept. quæ* tanquam singularis notari meretur. Vid. Brun. *ad cit. l. 1.* Duo tamen hic sunt necessaria *a.* ut tabellarius subscripserit apocham susceptoris per *L. 2. Cod. de Fisco, debit. contra* ibique Br. & Fr. de Amaya. Vid. *l. 4. Cod. de Fid. Instrum. B.* ut susceptori illius ipsius stationis, cui quid debetur, solvatur arg. *l. 1. Cod. de compens.* cujus ratio politica pariter ac juridica & hic quadrat. Vid. disput. nostra sub Præs. Excell. Dn. Harpprecht. habita de *Compensatione debitorum publicorum §. 9.* Aut debet II. civitati municipali. Hujus verò debitor, quando civitatis ministro vel officiali solvendo de Jure Romano liberetur, traditur in peculiari *tit. Cod. de Solut. & liber. Debit. Civ.* Hodie cum in qualibet civitate pro debitorum diversitate diversi sint susceptores, satis intelligitur, id quod

quod uni debetur, alteri solvendo obligationem non tolli. Nec facile quisquam dubitabit, quin collectæ provinciales, etsi ipsi Principi non verò civitati municipali debeantur, huic tamen recte solvantur, eo scilicet effectu, ut si forte collectæ à ministris civitatis, vel ab his substitutis executoribus in privatos usus converterentur, illæ à singulis civibus denovo exigì nequeant. Nam dum Princeps civitati tributum indicit, simul tacite mandat, ut illa hæc exigat & præstari curet. Aut debet III. universitati, ubi quæritur, an solutione Syndico speciale illam recipiendi mandat non habenti facta liberatio sequatur? Quod uti procul dubio negandum, si Syndicus accipiat in sensu juris Romani, in quo est procurator judicialis, cui, etsi sit generalis, frustra solvitur *l. 86. π. de solut.* Dissent. Cravetta *L. 2. conf. 238. n. 4.* ita contra affirmandum, si ille simul sit administrator rerum ad universitatem pertinentium. Huic enim tutò solvi posse patet ex *l. 9. §. 6. junct. §. 10. π. de adm. rer. ad civit. pertin.* Cæterum, si universitas quædam e. gr. collegium opificum specialem administratorem non habeat, id quod illi debetur, is penes quem est arca communis, vulgo die *Ampts-Lade* recte accipit.

## §. VI.

Hactenus de debitore publico. Privatus tertio se cure solvit potissimum triplici ex causa. Ac quidem I. *Ob voluntatem & jussum superioris vel expressum vel tacitum*, ex quo solutum recte recipit 1. licitator. Carpzov. *P. 1. c. 28. Def. ult.* quem refert & sequitur Struv. ad *tit. π. Que in fraud. credit. fact. thes. 87. in fin.* 2. Litis vel sententiæ executor. vid. *§. 24. Inst. de Act.* 3. Collectarum & tributorum exactores. Gravior incidit dubitatio de Executore ultimarum voluntatum, an huic tutò solvi queat? Videndum autem hic erit, an debitores sint testamentarii h. e. qui legata &c. præstare tenentur, an verò hæreditarii. Illi procul dubio Executori vitaciti mandati recte solvunt. *l. 21. §. 4. π. de Ann. legat. & fideic.*

B 3

ubi

ubi in *fin.* dicitur ab executore cautionem exigi posse, si ille vivente testatore solvendo esse desierit. vid. Ill. Dn. Rhet. de *Offic. Execur. ult. vol. cap. 2. num. 3. in fin. l. 7. c.* Si cui plus, quam per leg. *falcid. lic.* Et huc pertinet præjudicium adductum à B. Dn. Lauterbach. de *Execur. ult. vol. cap. 9. n. 52.* Hi, debitores scil. hæreditarii executori merè tali tunc demum rectè solvunt, quando hic vel ut cessionarius v. B. Dn. Lauterbach. *l. c.* vel aliàs ex causa ad ejus officium pertinente solum accipit. Nam citra hos respectus, quia cum debitoribus hæreditariis nihil negotii habent executores testamentarii, nec illos solum recipiendo liberare possunt. Imò alià facta inutilis est, nimirum si illa, testatore aut legatario prohibente, contigerit.

## §. VII.

Quando superior expressè jussit solutionem tertio fieri, sane interest, an ille sit ipse Princeps, an verò judex. Si ex mandato ipsius Principis solutio tertia fiat, semper sequitur liberatio, sive illud ex justa sive injusta causa emanasse quis existimaverit. Ratio, quia subditus in justitiam mandatorum principalium inquirere non debet. Dn. Becman. in *Medit. Polit. c. 19. §. 2. seqq.* Nec imputari potest debitori, quod non interposuerit appellationem, quia hæc à lege & decreto ipsius Principis non datur. *Mev. P. 6. D. 419. n. 1. 2. 3.* præsertim cum valde difficulter procedat probatio Principem, qui etiam jus ex contractu quesitum aliquando auferre potest, *Grot. de J. B. & P. II. 14.* mandatum de solvendo tertio injustè dedisse. Si tamen hoc verus creditor legitime & sufficienter probaverit, parum aberit, quin ejusmodi mandatum casibus fortuitis, qui debitorem generis liberare non solent, annumeretur. *arg. l. 11. c. de Evict. Conf. omnino Dn. Schilt. in Prax. Jur. Rom. Ex. 48. §. 35.* Judex inferior vel sententia judiciali, vel decreto extrajudiciali extraneo solutionem fieri jubet. Priori in specie creditor aut scivit aut ignoravit debito-

bitorem suum esse condemnatum. Si sciverit, imputet sibi, quod appellationem, quæ ipsi licet non condemnato datur, l. 4. §. 2. *de Appell.* neglexerit. Si ignoraverit, debitor condemnatus putativo creditori solvens, etsi debite solvat ad hunc effectum, ut conditio indebiti cesset l. 29. §. 5. *vers. nisi ex condemn.* *π. Mand. l. 1. Cod. de Condiçt. Indeb. B. Dn. Lauterb. ad tit. de Condiçt. Indeb. §. 12. §. 12. Mev. Conf. 99. n. 11. seqq.* tamen à sua obligatione, qua vero creditori obstrictus est, non liberari verius videtur, partim quia res inter alios judicata aliis non nocet. l. 63. *de Re judic. l. 1. t. t. Cod. inter al. act. vel jud. aliis non noc.* Struv. ad *tit. de Re judic. th. 22.* ibique Müller. in *Addit.* partim quod injusta judicis sententia casibus fortuitis, qui debitorem generis non liberant, passim à Dd. accenseatur. *Conf. l. 51. π. l. 8. 15. C. de evict.* partim quod culpa debitoris, qui actorem falsum creditorem esse scivit, concurrat, dum appellationem, vel denuntiationem, ad quam omnino tenetur, omisit. Freyer. *l. c. n. 64.* Sed quid dicemus posteriori in specie, si nimirum judex inferior decreto extrajudiciali tertio e. g. sibi met ipsi solvi mandat? Nobis quidem videtur, illud à judice quà tali, frustra fieri, quoniam jus creditori ex contractu quæsitum adimeretur, id quod non nisi ob pœnam vel jure domini eminentis fieri potest. Atqui Judex inferior nec legem pœnalem ferre, nec dominium eminens exercere valet, quò facit l. 15. *pr. in fin. π. Ad municipal.* Si itaque judex ejusmodi dederit mandatum, hoc tanquam ejus potestatem transcendens ipso jure nullum ac contemnendum est, l. *fin. π. de jurisd. & per consequens ad liberationem non proficiet. v. l. 22. §. 3. Rem rat. haber.* Non obstat l. 2. §. 2. *vers. permitt. π. de Minor. l. 11. π. de A. vel A. P.* Neque vero à Prætoris ad hodiernos judices tutò satis inferitur, cum ille habuerit potestatem legislativæ proximam. Nec porro obstat, quod judex sapius prohibeat solutionem, vid. Carpzov. *P. 2. c. 30. Def. 24.* cum per talem inhibitionem non auferatur jus quæsitum, sed exactio saltem differatur. *Conf. Pruckmann. vol. 2. Conf. 24. num. 138. Hillig. in Donell. L. 16. c. 10. lit. T.* Dissentit, cum

cum aliis novissimè Muller. ad Struv. tit. de solut. thes. 72. lit. 9. in fin. Debent autem hætenus dicta accipi de casu, quando iudex mandat solvi ei, cui ex legis dispositione male & frustra solvitur. Nam si mandatum loquatur de eo, cui propitio jure solutio fieri potest e. gr. creditoris creditore frustra dubitatur, an illa pariat liberationem, quæ etiam citra iudicis mandatum contingeret, etsi hoc in specie operari possit, ut debitor qui ultro solvens ope exceptionis, iudicis iussu accedente ipso jure liberetur.

## §. VIII.

II. Propter directam & immediatam ipsius creditoris voluntatem, vi cuius tutò solvitur 1. Adjecto, l. 10. l. 12. §. 1. de Solut. vid. omnio B. Dn. Lauterbach. in diss. de Solut. ch. 14. Muller. ad Struv. l. c. lit. V. d. e. §. Stracha in Sp. tract. de Adjecto. quò B. L. brevitatis studio remisisse sufficiat. Add. tamen Mev. P. 8. D. 439. 2. Dispensatori in specie sic dicto, qui scil. accipiendis exigendisque pecuniis est præpositus, Germ. ein Einnehmer. vid. l. 51. 62. w. l. 19. Cod. de Solut. De institore vid. infr. §. 12. 3. Ei, cui ut solvat debitor, creditor iussit. l. 26. §. 1. w. Mandat. l. 21. w. de Novat. l. 32. in fin. l. 34. §. 7. l. 108. in fin. de Solut. Vid. l. 15. w. de R. C. 4. Nuncio, qui scilicet ad debitum accipiendum missus est l. 12. §. 1. w. Commodat. Nam nuncio commonendi vel interpellandi tantum gratia missò male solvitur cit. l. 12. Et de tali quoque nuncio accipi debet, das Sächs. Land-Recht. L. 3. artic. 4. vid. Matth. Coler. P. 1. Decis. 32. num. 1. & 3. Freyer. de Solut. c. 3. num. 57. Hoc certum, quod Nuntius judicialis quæ talis solum recipere nequeat, cum illius officium non in exactione debiti, sed saltem in citationum, aliorumque decretorum judicialium insinuatione consistet. 5. Procuratori vero extrajudiciali & speciale ad solutionem mandatum habenti l. 12. pr. w. de Solut. Dixi a. vero, quia falsus procurator, ratihabitione creditoris vel expressa vel tacita deficiente vid. Brunn. ad l. 34. w. de Solut. uti illi-

illicite & tanquam fur. *l. 19. Cod. de Furt.* ita quoque frustra  
 urget ac recipit solutionem *l. 34. §. 4. w. de Solut* vid. omnino B.  
 Lauterbach. *in disp. de Nuncio th. 48. 49.* quemadmodum & ille,  
 cujus mandatum sciente debitore extinctum est. Dn. Lauter-  
 bach. *de Solution. thes. 17. Müller. ad Struv. loc. cit. lit. a. Mev.*  
*Part. 7. Dec. 27.* Extinguitur autem mandatum de accipienda  
 pecunia datum, vel à lege, si procurator statum suum deter-  
 riorat, male conditionis efficitur, & facultatibus lapsus est.  
*arg. l. 38. pr. π. de Solut.* vel ab homine, scil. mutatione volun-  
 tatis facta. Freyer. *l. c. n. 60. Dixi β. extrajudicialia.* Nam judi-  
 ciali five generali five speciali; uti & Advocato, *Mev. P. 5.*  
*D. 263.* perperam solvitur *l. 86. w. de Solut.* Idque verum est  
 non tantum ante sententiam, sed etiam hac jam lata, quia  
 ne tunc quidem actione iudicati ad debitum exigendum aut  
 recipiendum procurator cum effectu admittitur. *d. l. 86.*  
 Quamvis enim actio iudicati juris subtilitate illi detur, vid.  
 Franzk. *ad tit. w. de Procurat. n. 15.* tamen cum utilis actio præ-  
 valentior domino competat, directa mediante exceptione,  
 rei ad procuratorem non amplius pertinentis, aut finiti jam  
 officii, quod fit latâ sententiâ, elidi potest, per text. express.  
*in l. 28. w. de Procurat. conf. l. 75. w. Eod.* Et hæc quidem re-  
 gulariter obtinent. Dantur tamen exceptiones (1) si sit pro-  
 curator in rem suam *d. l. 28.* (2) Si ad solum recipiendum  
 simul datus sit. *d. l. 86.* (3) Quando sumtus fecit in lite, &  
 dominus solvendo non est. *l. 30. π. de Procurat.* vid. Bartol. *ad*  
*dist. leg. 86.* & ibidem *Addit. de Solut.* Si autem iudex in sen-  
 tentia expresse iuberet, ut solutio Procuratori fieret, repe-  
 tenda erunt illa, quæ in fin. præced. §. 7. diximus. Dixi γ.  
*speciale mandatum habenti.* De procuratore extrajudiciali ge-  
 nerali actum supra §. 3. Sciendum autem est, non semper præ-  
 cisè requiri, ut speciale illud mandatum sit expressum. Suffi-  
 cit enim tacitum, e. gr. mandatum expressum ad venden-  
 dum, post Stracham aliosq; *Mev. P. 5. D. 175.* Mandatum enim  
 antecedentis continet mandatum necessarium consequentis  
*l. 2. π. de Jurisd. l. fin. π. Mandat.* ita ut qui hoc committere no-  
 lit

lit, expressa exceptione opus habeat. *Mev. p. 3. D. 361. n. 2. 3.* Cæterum si quis demandaverit pecuniæ exactionem sine mentione recipiendæ solutionis, interest, an mandatarius ad litem sive ad exactionem judicalem, an vero ad exactionem extrajudicalem sit constitutus. Priori in casu Procuratori tuto solvi nequit. *Brillon. de Solut. L. 1. n. 316. Mev. P. 5. D. 294. n. 5.* Posteriori in casu potestas exigendi potestatem recipiendi & liberandi continet, *Mev. P. V. D. 19. n. 5.* Quod si planè dubium sit, an quis speciale ad pecuniam recipiendam mandatum acceperit, hoc non præsumitur. *Merckelb. apud Klock. vol. 2. conf. 50. n. 37. segg. Fr. Salgad. in Labyr. cred. P. 1. c. 76. n. 27. & segg.* sed liquido probari debet. Quod fit, si ostendatur, non solum verum mandatum intercessisse, sed etiam mandantem liberam de rebus suis disponendi facultatem habuisse. *vid. Lauterb. l. c. th. 18. segg.* Prius ut probetur testes non sufficere existimant. *Dd. apud Mev. cit. Dec. 294. num. 11.* creditor tamen cogi potest, ut prævio juramento edat literas, quæ ad illum, qui pecuniam accepit, de solutionis negotio scripsit. *Brunnem. ad l. 34. de Solut. De procuratore contra formam mandati exigente vid. Mev. P. 6. D. 26.* Et de exigente ultra modum *l. 89. §. 1. π. de Solut.*

### §. IX.

Cum itaque Procuratori speciale ad pecuniam accipiendam mandatum habenti efficacissimè solvatur, facile apparet, quod in causa cambiali epistolam præsentanti, sive ut loquuntur ei, cui facta est remissa, solvens omnino liberetur: cum ille, si non est cessionarius remittentis, hujus tamen est Procurator ad id constitutus, ut solutum accipiat. *Struv. ad tit. π. de P. V. th. 41.* Quamquam enim nonnulli dicant, inter remittentem & eum, cui fit remissa, nullum celebrari contractum; hoc tamen frustra dici ipsius rei evidentia satis demonstrat. Nec officit, quod præsentans epistolam cambiale eum, cui fit trassa, ad solvendum cogere nequeat. Hoc



Hoc enim fit inde, quod acceptaturus non remittentis sed  
transantis sive campforis debitor vel etiam nudus mandata-  
rius est. Sed ut hæc latius persequamur, opus non est.

## §. X.

Magis ad rem pertinet querere, an procurator, qui  
mandatum ad pecuniam accipiendam habet, alium substituere  
possit hoc quidem effectu, ut debitor substituto solvens  
liberetur? Affirmavit hoc Mev. P. 5. D. 176. quem sequitur  
Brunnem. ad l. 11. Cod. de Solut. n. 8. in fin. Sed cum receptio solu-  
turi sit magni momenti negotium, adeoque creditor, cujus  
sane multum interest, quis sit ille, à quo solum recuperet,  
singularis personæ industriam elegisse videatur, atqui  
tunc procurator alium in domini præjudicium substituere ne-  
queat, B. Dn. Lauterbach. in *disp. de Procurat. Subst. cap. 3. §. 5.*  
forte tutius erit, ut debitor solutionis gratia à substituto in-  
terpellatus, non huic sed procuratori principali solvat. Hoc  
certum, quod procurator ad litem, cui quis debitum exi-  
gere mandavit, ante litis contestationem alii petendum  
mandare non possit. *l. 8. Cod. de Procurator.* Denique nec illud  
omittendum est, Procuratorem, cui propter acceptum man-  
datum rectè solvitur, ad præstandam cautionem de restituendo  
id quod accepit, regulariter non teneri arg. *l. 10. ff. Rat. rem.*  
*haber.* Non obft. *l. 13. §. 1. & l. 20. d. t.*

## §. XI.

III. Extraneus solutam pecuniam recipit propter dispositionem  
ipsius legis partim in utilitate creditoris, partim in tertii con-  
ditione & officio, quo illos, quorum causa geritur, repræsen-  
tat, sese fundantis. vid. Mev. P. 3. D. 360. pr. Et hinc securè  
solvitur I. *creditoris creditori*, cujus intuitu distinguendum, an  
huic nomen sui creditoris vel generaliter vel specialiter sit  
oppignoratam, an verò non. Priori in casu debitor sui  
creditoris creditori, à quo mediante actione utili conveniri  
potest. *l. 4. Cod. Quæ res pignor. obligar. &c.* vid. Müller. ad Struv.  
*Ex. 26.*

Ex. 26. *th. 18. lit. d.* securè solvit, adeo ut ipso jure liberetur, accipiens vero pecuniam exactam in suum creditum compensare possit, per *l. 18. pr. π. de Pignor. Act.* Imò, si debitor, cujus nomen est oppignorum, proprio & immediato suo creditori vel post denuntiationem, vel lite jam contestata cum secundo creditore, solverit, huic adhuc tenetur. Roth. in *Disp. de Debitoris debitore th. 12. § 17.* ubi plures hac de re quaestiones resolvit. Si nomen debitoris creditori creditoris non sit oppignorum, distinguere solent Dd. an vel 1. creditor immediatus solutionem suo creditori factam mandaverit, aut ex postfacto ratihabuerit, vel an 2. tale quid non contigerit, vel 3. quis plane invito & contradicente creditore ejusdem creditori solverit. Primo in casu debitorem ipso jure liberari certum est per *l. 49. l. 64. π. de Solut.* Secundo in casu etsi creditoris e. g. Titii creditor e. g. Cajus contra Titii debitorem e. g. Mevium agere regulariter nequeat per *l. 13. C. de O. & A. l. 7. C. de Novat. l. 13. 15. C. Si cert. pet. nihilominus tamen Mevius Cajo solvens liberatur l. n. §. 5. π. de Pign. Act. l. 6. π. de Dol. mal. & met. except.* Et quanquam alii tunc demum, si Titius Cajo obligatus sit ex eadem causa, quàm Mevius Titio, dicta procedere arbitrentur, Freyer. de *Solut. c. 3. n. 66.* horum tamen sententia generalitati *cit. l. 6.* aperte repugnat. Nec audiendi videntur illi, qui memoratam distinctionem quoad modum liberationis, an scilicet hæc ipso jure; an vero ope exceptionis contingat, applicare volunt cum Zœf. *ad tit. π. de Solut. n. 14. & 15.* Nam & hic generalitas *d. l. n.* contrarium suadere videtur, quod scilicet creditoris creditori sine illius vel judicis mandato solvens semper & indistincte non nisi ope exceptionis liberetur. Müller ad Struv. *l. c. lit. β.* Cæterum quanti interfit, an ipso jure an vero ope exceptionis liberatio contingat, infra notabimus. Tertio in casu debitor creditoris sui creditori suo periculo solvit; Müller. *l. c.* præsertim si speciali pacto cautum sit, ne alii, quam ipsi proprio & immediato creditori solvatur. Hinc ut tale pactum adjiciatur, cautelæ loco suggerit Dn. Stryk. de

de caut. contract. S. 4. c. 1. §. 3. Nam alias facile obtenderetur, sola creditoris potestatione non auferri posse debitori jus solvendi creditoris creditori, sed vid. l. 106. π. de Solut.

II. *Necessariis vel conventionalibus negotiorum creditoris extrajudicialium gestoribus*, ut sunt 1. Tutores & Curatores. 2. Pro-tutores. 3. Curatores bonorum. 4. Pater tanquam legitimus peculii administrator. 5. Institores. 6. Proxenetæ. De singulis sigillatim, sed saltem paucis.

## §. XII.

Ac primo quidem certum est, Tutori & Curatori, etiam honorario & notitiæ gratia constituto l. 14. π. de Solut. vid. B. Lauterbach. *disp. de Honorar. Tutor. §. 29. n. 9.* rectè solvi l. 46. §. f. *de Admin. Tutor.* dummodo de jure novo in solutione ejus, quod alimentorum vicem non obtinet, judicis decretum accedat l. 25. 27. C. de Adm. Tut. & ibid. Brunnem. Hoc enim tunc quoque, si tutori vel curatori solvatur, requiri contra Carpzov. rectè adstruit Lauterbach. *de Solut. thes. 20.* Cujus sententiam adeò veram putamus, ut debitor pupillaribus, sine judicis decreto solvens, plane non liberari videatur, propterea quod illud ad legitimam solutionis formam exigatur ab Imper. in cit. l. 25. Nec obst. l. 1. Cod. si advers. Solut. Hæc enim ex l. 25. tanquam noviori suam interpretationem merito accipit. De casu, si plures adsint tutores, vid. Montan. de *Jur. tutel. & curat. cap. 32. n. 12.* conf. l. 100. π. de Solut. Quoad curatorem fœminæ majorennis distinguit Frantzk. in *sp. resolut. quæstionis, an & quatenus fœmina majorenni vel illius marito aut curatori solvi possit?* (quam Freyer de *Solut. cit. cap. 3. post n. 67.* exhibet) n. 9. inter maritum uxoris suæ, & alium innuptæ fœminæ curatorem. Huic soli periculo debitoris solvitur, quia nullam bonorum administrationem, quam mulier sibi retinet, habet. Illi, marito scil. vel usuræ ac pensiones è fundo uxoris, vel fortes sive capitalia solvuntur. Priori in casu debitor plane tutus est, quia maritus illas tanquam usufructuarius bonorum uxoris de jure Saxonico lucratur Frantzk. l. c. n. 10. in fin. Posteriori in casu debitorem uxoris

ris marito solventem ipso jure liberari putat Frantzk. *l. c.* ita tamen, ut uxor in casu læsionis beneficio restitutionis gaudeat. Sed hic præsupponit Frantzk. secundum ea quæ præced. *n. 2.* dixerat, solutionem Tutori vel Curatori sine decreto judiciali factam ipso jure subsistere, id quod tamen supra negavimus, & consequenter potius est, ut dicamus, debitorem uxoris ejusdem marito curatori sine judicis autoritate solventem plane non liberari. Quod vero attinet pro-tutorem, pro-curatorem, curatorem bonorum, primo & secundo nonnisi in casibus exceptis, quos notavit Nobiliss. Dn. Engelbrecht, Amicus noster æstimatissimus, in *Disput.* sub eodem, qui nobis patrocinatur, Præside habita *de jur. Pro-tutor. §. 9.* tertio autem regulariter secure solvitur, arg. *l. 2. §. 1. π. de Curat. bon. dand. l. 5. §. 1. π. de Carbon. Edict. l. 14. π. de Reb. Auth. jud. possid. l. 22. §. pen. π. Mandat. Mey. P. 2. D. 170. n. 1. & pretium bonorum distractorum solvit, non ultra teneri, sed curatorem vel alium. Nec minus pater, qui legitimam peculii administrationem habet, id quod filio familias debetur, rectè & cum effectu liberationis accipit, dummodo qualitas administrationis exprimat, post Steph. Gratian. Freyer *l. c. n. 43.* Sed veniamus ad Infitorem, qui scilicet à mercatoribus, Pharmacopolis, Cauponibus negotiationi quæstuarie est præpositus. Equidem non quæritur hic, an id, quod debetur ex contractu cum ipso infitore inito huic durante vel incio debitore finito officio rectè solvatur. Quis enim hoc negaret, cum tali casu infitor non ut tertius, sed ut verus creditor pecuniam accipiat? Id tantum in quæstionem venit, an quod præponenti ratione negotiationis quæstuarie solventum erat, infitori cum effectu liberationis solvi possit? Ubi quidem facile apparet, distinguendum esse, an solutio fiat in taberna & caupona, an vero extra eandem. Priori in casu infitori rectè solvi, quotidiana docet experientia juri optime conveniens, cum illi mandatum ad vendendum habenti simul tacite, ut pecuniam à debitoribus solventibus accipiat, man-*

mandatum intelligatur. vid. supr. §. 8. dummodo id, quod solutum in taberna, ad hujus negotiationem pertineat. Nam si quis duas vel plures haberet tabernas, vix est, ut is, qui uni debet, alteri solvens liberetur, nisi versio in rem proponentis probetur. Posteriori in casu, si nimirum extra tabernam vel cauponam infitori quâ tali solutio fiat, hæc frustranea videtur, propterea quod infitor, scil. ut diximus quâ talis, est saltem procurator vel gestor negotiorum extrajudicialium particularis, cui quod rectè solvatur, nullibi dicitur. Deniq; ut de proxenetis aliquid adjiciamus, his quoque quâ talibus tuto solvi nequit, sed tunc demum, si proxenetæ simul vel sint *adjecti*, vel speciale ad pecuniam accipiendam mandatum expressum vel tacitum e. g. ad vendendum habeant. *Mev. P. 3. Decif. 360. in fin.* Prioris ratio satis manifesta est ex eo, quod proxenetæ sive sint publici sive privati, saltem ad conciliandos contractus interveniant, hisce verò perfectis suo officio jam functi sint, & pro plane extraneis reputari debeant. Neque is, qui super preparatorio mandatum dedit, hoc simul ad ipsum actum dedisse censetur. post Menoch. *Mev. l. c. n. 17.*

## §. XIII.

Transeamus nunc ad effectum solutionis tertio jam factæ, qui (1) *ratione tertii*, (2) *ratione debitoris*, & denique (3) *ratione veri creditoris* considerari potest. Ac primò quidem respectu tertii interest, an hic male, an verò rectè pecuniam vel aliud quid acceperit. Si male; aut simulavit, aut non simulavit se esse verum creditorem. Primo in casu, si nimirum tertius se creditorem vel procuratorem *l. 19. Cod. de Furt. simulaverit*, & alterum ad solvendum induxerit *l. 43. pr. π. de Furt.*, atque pecuniam lucrandi animo acceperit *l. 38. §. 1. de Solut.* (nam sola exactio à falso creditore facta in crimen stellationatus incidit *l. 29. §. 2. & 5. π. Mandat. conf. 75. π. de Furt.*) tum ipse furtum committit *dd. ll. l. 3. π. de condit. furt. l. 80. §. 6. π. de Furt.* & tanquam fur rei vindicatione, conditione furtiva

tiva, vel etiam actione furti nec manifesti cit. l. 19. vid. B. Dn. Bardili de *Fals. Procur. lib. 98.* à solvente conveniri potest. B. Dn. Lauterbach. ad tit. *π. de Condict. indeb. §. 22.* Putat tamen Bachov. ad *Tr. vol. 1. D. 22. lib. lit. E.* quod actio furti cum conditione indebiti concurrere possit. Sed de hoc merito dubitatur, cum nominatæ actiones sint origine & nativitate contrariæ, quarum nullus est concursus. Excellent. Dn. Præf. de *Elect. util. act. thes. 38.* Hoc certum, quod si res vero creditori restituta sit, vel etiam ille solutionem expresse ratihaverit, & conditio furtiva & actio furti evanescat. l. 80. §. 5. in *fin. π. de furt.* partim quia ratihabitio creditoris vel expresse vel tacite scil. receptione soluti, interposita retro operatur hoc quidem effectu, ut solutio vero creditori facta, adeoque nullum furtum commissum censeatur. Secundo in casu rursus distinguendum, an stipulatio, verum creditorem solutionem ratam esse habiturum, intervenerit; quo casu propter factam novationem, ratihabitione deficiente, actio exstipulatu competit per l. 22. *pr. & l. 25. §. 1. in fin. ω. Rem rat. hab. vid. Zoës. ad tit. de Prætor. stipulat. n. 4.* an verò talis stipulatio omissa sit. Et tunc solventi regulariter (Exceptionem supra notavimus in illo, qui iudicis sententia condemnatus creditori putativo solvit) conditio indebiti non quidem simpliciter sed respectu hominis datur l. 55. ibi: *Quod si velurus navium l. 65. §. 9. ω. de Condict. indeb.* non tamen semper statim, vid. l. 58. *pr. de Solut. & contra accipientem.* Nam si quis procuratorio nomine exegerit id quod non domino sed alii debetur, interest, an exigens fuerit verus an falsus procurator. Si verus, conditio adversus mandantem competit. l. 57. §. 1. *ω. de Condict. indeb. junct. l. 6. §. 1. 2. Eod. Clud. de Condict. indeb. cap. 6. n. 16. seqq.* Si falsus, ab accipiente solum recte condicitur l. 14. *ω. de Condict. caus. dat.* nisi dominus solutionem ratam habuerit, quo casu pecunia repeti potest & à domino & à falso procuratore; ab illo conditione indebiti; ab hoc, si furtum commisit, conditione furtiva l. 80. §. 5. *π. de furt.* Electo domino, hinc tueri se potest exceptione doli mali, & sic cogere debitorem, ut

ut conditionem furtivam adversus falsum procuratorem competentem cedat. *cit. l. 80. §. 5. π. de furt.* Quod fufius explicat Tabor in *Racemat. crimin. p. 276.* Aliter se res habet, si falsus procurator veri creditoris solutum acceperit. Quod enim tunc ille solus conditione teneatur certum est per *l. 14. π. de condit. caus. dat.* Id saltem controvertitur, qualis sit conditio, quæ adversus falsum procuratorem, qui exegit, competit? Ubi quidem observandum est, falsum procuratorem, uti alias; vid. B. Dn. Bardili *disput. de falso Procur. cap. 1. th. 5.* ita hic quoque vel latè vel strictè accipi. Latè quatenus simpliciter sine prævia simulatione & fraudandi animo pecuniam accipit; strictè, quando quis mentitur & fingit se esse procuratorem, ut debitor eò facilius solvat, ipsè verò solutum in proprios usus convertat. vid. Tabor ad *l. 34. §. 1. & l. 80. §. 6. π. de Furt.* Jam si falsus procurator strictè accipiatur, id quod ipsi solutum est conditione furtiva repetitur *d. l. 80. §. 5.* quæ tamen si verus creditor, cujus nomine exactum est, solutionem ratihabuerit, tollitur per *cit. §. 5. in fin. d. l. 80. de furt.* Contra si falsus procurator latè accipiatur, quoad genus conditionis communiter distinguunt Dd. an is, cujus nomine falsus procurator pecuniam vel aliud quid accepit, sit verus creditor, & tunc conditio causa data causa non secuta competit. *cit. l. 14. π. de Condit. caus. dat. caus. non sec.* an verò sit falsus creditor, adeoque procurator indebitum exegit. Quo casu conditio indebiti datur. *l. 8. Cod. de Condit. indeb.* Clud. de *Condit. caus. dat. caus. non sec. cap. 4. n. 64. seqq.* Struv. in *Evolut. Controv. ad d. tit. th. 17.* Præterea sciendum est, quod, si non ipse debitor sed hujus negotiorum gestor de suo falso procuratori indebitum solverit, & postea debitor solutionem ratihabuerit, quod, inquam, ratihabenti quidem detur conditio indebiti, sed non conditio furtiva, nisi hanc gestor cesserit, ad quod, si contra ratihabentem actione negotiorum gestorū experiatur, officio judicis compellitur, ita ut exceptione doli mali opus non sit *l. 80. §. 7. π. de Furt.* vid. Tabor. ad *cit. §. 7.* Et hæc quidem

D

obti

obtinent circa repetitionem tertio male soluti, respectu solventis. At contra verus creditor accipientem nulla pulsare potest actione, non *reali*, quia debitor non verò creditor ejus, quod debetur, dominus est, *L. 1. §. de Liberat. legat.* & ei cuius nomine quid exactum est, per falsum Procuratorem & similem, qui mandato de pecunia accipienda infructus non est, dominium soluti acquiri nequit *L. 24. §. de Negot. gesti.* non *personali*, propterea quòd inter verum creditorem, & illum, qui non rectè accepit, nullum intercessit negotium. Nec inde præjudicium generatur creditori, quia actio adversus debitorem salva manet. Nam pecunia, inquit Seneca de *Benef. L. 5. c. 19.* petitur ab eo, cui credita est, quamvis ad me illa aliquo modo venerit. Aliquando tamen tertius à creditore rectè convenitur ita, ut si hic solutum recuperaverit, debitor liberetur, propter *L. 61. §. de Solut.* Et quidem primò obtinet hoc, si creditor solutionem ratihabuerit. Quo tamen casu debitor statim liberatur *d. l. 24. de N. G.* Si cundò ex communiore Dd. sententia in subsidium *ex l. 32. §. de R. Cred.* Nam hic maximè quadrat aureum effatum Celsi in *d. l. 32.* Quia pecunia mea ad te pervenit, eam mihi à Te reddi bonum & æquum est. Sed vid. Excell. Dn. Sweder, Patronus ac Præceptor meus ætatem devenerandus in *comment. ad cit. l. 32. p. 1. cap. 3. §. p. 2. §. 8. seqq.* Tertio si verus creditor tertium ex alia causa jam obligatum habeat. Et hinc est, quòd dominus procuratori ad litem, etsi male, vid. *supr. §. 8.* solutum actione mandati; *L. 46. §. 4. §. de Procur.* & verus hæres id quòd putativus à debitoribus hæreditariis exegit, hæreditatis petitione, *L. 25. §. 18. §. de H. P.* consequi valeat. Quarto si creditor sit talis, cuius tui debitoris debitorem convenire licet, de quo vid. laud. Roth. in *cit. disp. de Debit. Debit.* Quintò si debitor actionem contra tertium competentem verò creditori cesserit. Quam tamen cessionem creditor, ut debitor liberetur, invitus admittere non tenetur, nisi in casu *L. 38. §. 1. §. de Solut.* Sextò si quis ut procurator sed sine mandato solutum acceperit. Tunc enim actionem negotiorum gestorum creditori competere ex *L. 6. §. 3.*



§. 3. *de N. G.* optimè probat Dn. Bardili *l. c. th. 93.* Debent autem hæcenus dicta accipi de casu, si tertius, cui male solutum, rem debitoris propriam acceperit. Nam quando pecunia vel etiam alia res ad creditorem jure domini spectans e. g. deposita tertio tanquam putativo creditori vel procuratori soluta ac tradita sit, nullum est dubium, quin, etsi debitor conditionem indebiti incerti habeat, *l. 15. §. 1. π. de Conduct. indeb.* tamen simul creditor tanquam dominus adversus possessorem actione ad exhibendum & rei-vindicatione uti possit, per text. express. *l. 1. §. 32. de Depos.* Quod uti etiam primo in casu, quo scil. tertius se debitorem vel procuratorem simulavit, verum est, ita contra secundo in casu, si nulla simulatio intervenit, cessat, quando res debitoris propria tertio soluta & bona fide accepta ex titulo pro soluto jam est usucapta, id quod tamen tunc demum procedit, si quis ut putativus creditor accepit. Nam procuratorem putativi creditoris, dum non suo sed alieno nomine accipit, domino quidem, nimirum si sit verus procurator, sed non sibi metipsum conditionem usucapiendi asserre posse, non minus manifestum est, quam quod in casu, quo res debitoris propria putativo creditori soluta est, usucapione opus non sit, quia conditio indebiti, quæ contra illum datur, domini translationem præsupponit. Id saltem notabimus ex *cit. l. 1. §. 32. de positarium*, qui putativo domino ignoranter restituit, liberari; quod tamen ad casum in *cit. l. propositum* merito restringendum erit.

## §. XIV.

Si debitor tertio rectè solvit, aut ipsius creditoris, aut debitoris res propria solvitur. *Priori in specie* nec dominium nec conditio usucapiendi in accipientem transit. Non illud, quia dans non fuit dominus, nec hæc quia & titulus & bona fides deficit. Nam tertius, cui rectè solvitur, semper scit, se non fuisse verum creditorem, adeoque tanquam male fidei possessor usucapere nequit. Idque adeo verum putamus, ut nec actio ex contractu creditori adversus tertium competens

mediate exceptione præscriptionis elidi possit. Quotiescunque enim contra illum, qui alienum accepit & possidet, actio personalis competit, hæc, deficiente bona fide, per præscriptionem non exstingui verius videtur. vid. Dn. Coccei. in *disp. de Fin. bon. fid. in præscript. Sect. 1. §. 4.* Atqui bonam fidem in illo, cui veri creditoris nomine rectè solvitur, deficere modo diximus. *Posteriori in specie, si debitor solverit & tertius acceperit nomine creditoris, huic dominium acquiritur. l. 52. c. de A. R. D. l. 18. l. 1. §. 20. l. 42. c. de A. v. A. P.* vid. Struv. ad *tit. c. de A. R. D. th. 5.* & consequenter periculum tertio rectè soluti non ad debitorem sed ad creditorem, tanquam dominum, spectat. arg. *l. 9. Cod. de Pign. Act.* vid. omnino B. Dn. Lauterbach. in *disp. de Nuncio th. 55.* Quod vero attinet tertium, hic omni usucapione & præscriptione cessante, quia bona fides deficit per superius tradita, ad soluti restitutionem vi contractus & quidem maxime mandati obligatur. Ex qua restituendi obligatione fluit, quod tertius, etsi regulariter cautionem præstare non teneatur, tamen nihil facere possit, ex quo creditori damnum vel præjudicium generetur. Hinc 1. res tradita frustra alienatur. 2. pecunia soluta in proprios usus illicitè convertitur. Fit autem hoc vel fraudulenter vel sine animo furandi. Primo in casu furtum committitur *l. 22. §. 7. c. Mandat. l. 7. Cod. de Furt.* Quæ leges hodiecum de Jure Lubecensi & Saxonico obtinent, ita quidem ut pœna suspendii dictari possit. Lauterbach. *l. c. th. 53.* Secundo in casu soluta pecunia aut est publica, & tunc crimen residui committitur, aut privata, cujus consumptio maximarum usurarum præstatione plebitur per regulam generalem *l. 38. c. de Negot. Gest.* Quæ lex, tanquam singularis non abrogata per *l. 26. §. 1. Cod. de Usur.* etiam tunc aliquando obtinet, si tertius pecuniam acceptam otiosam sinat e. g. si ille sit creditoris tutor *l. 7. §. 3. 4. l. 15. l. 54. c. de Adm. & Peric. Tut.* quanquam hæc leges in Novell. 72. cap. 6. & 7. & inde desumpta *Authent. Novissime Cod. de Admin. Tutor.* paulisper sint mutatae. De jure hodierno vid. Mev. ad *I. L. l. 1. art. 7. n. 12. seqq. Brunn. ad l. 1. Cod.*

*Cod. de Usur. Pupill. Mev. P. 7. D. 200. ubi n. §. testatur, in Pomerania jus  $\pi$ . observari. Item §. damnus dolo, culpa vel mora tertii datum refarciri debet. Quænam autem culpa sit imputabilis, ex natura contractus, vi cuius soluti restitutio peti potest, dijudicandum venit. Illud singulare est, quod merus nuncius saltem de lata culpa teneatur, vid. B. Dn. Lauterbach, de *Nunc. ib. §. 4.* Plane si tertius casu fortuito solutum amiserit, ad illius restitutionem non obligatur, nisi propter præviam culpam, moram vel passionem, quæ etiam in casu *l. 3. pr.  $\omega$ . Mandat.* intervenisse censetur.*

## §. XV.

Si effectum solutionis tertio factæ ex parte *Debitoris* consideremus, itidem refert, an illa malè an verò rectè contigerit. Si malè, duplex adhibenda est distinctio 1. quæ effectum liberationis; an tertius solutum retinuerit, an vero creditori restituerit. Primo in casu, propter rationem in §. 1. assignatam liberatio sequi nequit. Fit tamen aliquando, ut solutio tertio facta, quæ ab initio fuit invalida, ex postfacto confirmetur, & quidem vel creditoris ratihabitione, per quam ipsi dominium & possessio acquiritur, *l. 24.  $\omega$ . de Neg. Gest. l. 42. §. 1.  $\omega$ . de A. vel O. P.* vid. B. Dn. Bardili *disp. de ratihab. ib. 40. Vel de solut. Duaren. ad d. 1. cap. 5. pr.* Secundo in casu distinguendum, an tertius male solutum creditori solverit proprio nomine, quo factò neuter liberatur *l. 31. pr.  $\pi$ . de H. P. l. 17.  $\omega$ . de Solut. an debitoris nomine, & tunc debitor, qui tertio solvit, in tuto est per *l. 61.  $\pi$ . de Solut.* quæ etiam ad casum, si solutum in rem creditoris versum sit, extendenda est arg. *l. 28.  $\omega$ . d. 1.* vid. B. Dn. Bardili *de Falso Procur. ib. 89. 2.* quoad effectum repetitionis, an debitor tertio male solvens sciverit; an vero ignoraverit accipientem falsum vel creditorem vel procuratorem fuisse; & tunc conditio indebiti posteriori in specie datur, at in priori cessat, quoniam is, qui indebitum scienter solvit, plane nullam repetitionem habet *l. 9. Cod. de Condiçt. indeb. Clud. de Condiçt. causa dat. caus. non sec. cap. 4. n. 61. seqq.* add. B. Dn. Bardili*

dili *l. c. th. 90.* Si solutio rectè contigerit, sequetur liberatio & quidem pro diversitate casuum vel ipso jure vel ope exceptionis, inter quæ duo adhuc hodie in praxi insignem esse differentiam notat Dn. Stryck, in *tr. de Interess. controv. in for. cap. 12. §. 6.* idque satis perspicuum redditur ex eo, quod is, qui ipso jure tutus est, exceptionem intentionis, ille vero, qui ope exceptionis liberatur, exceptionem juris habeat. Atqui inter exceptionem facti & juris ratione termini, probationis & quoad officium judicis suppletorium omnino, plurimum interesse nemo ignorat. Deniq; omittendum non est, quod etsi debitor per solutionem tertio rectè factam liberatus sit, tamen adhuc à pristino creditore conveniri aliquando possit, e. gr. in casu *l. 171. §. 1. w. de V. O.*

## §. XVI.


Reliquum est, ut de effectu solutionis tertio factæ respectu veri creditoris nonnihil addamus. Sciendum autem est, quod creditor, si illa rectè contigerit, partim ipse obligetur, partim accipientem obligatum habeat, ita quidem, ut solutum non tantum rei vindicatione, sed etiam actionibus personalibus repeti possit, de quarum fonte cuivis facile constabit, dummodo ad conditionem & qualitatem tertii, qui pecuniam vel aliam rem accepit, respiciat.

## §. XVII.

Ad Affinia pertinet 1. Depositum juris 2. illud negotium, quando quis rem ex prævio contractu locati vel mandati alteri cui non quidem ut creditori, vel hujus procuratori, sed eum saltem in finem tradit, ut illam vero creditori liberationis ergo perferat. vid. B. Dn. Lauterbach. *de Nunc. th. 55. n. 15.* 3. Solutio ejus, quod pluribus e. g. cohæredibus debetur, uni facta. De qua non pauca nec notatu forte indigna afferremus, nisi quedam finiendæ in præsenscriptionis ratio hoc prohiberet.

Sit itaq; pro ingenii viribus hæcenus concessis

SOLI DEO GLORIA.



Tübingen, Diss., 1704-05

ULB Halle

005 309 999

3







24  
2. D. D. v. J. 20. num. 15. 774. 4  
1704 30  
7

DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS  
De  
**SOLUTIONE TERTIO FACTA.**

*Quam*  
Ex Decreto & Autoritate  
*AMPLISSIMÆ FACULTATIS JURIDICÆ,*  
PRÆSIDE  
DN. MICHAELE GRASSO, J.U.D.  
Cod. Novell. & Crim. Sanct. P. P. O. &  
Confiliar. Württembergico,  
*Patrono ac Præceptore suo ætatem suspiciundo,*  
**PRO LICENTIA**  
Summos in utroque jure honores & privilegia le-  
gitime capessendi,  
*d. April.*  
IN AULA NOVA,  
Publicè & Solenniter defendet  
GEORG. ADOLPH. CAROC.  
Gryphisw. Pomeran.

---

TUBINGÆ, Anno MDCCIV.

KONFRIED  
UNIVERS.  
ZVHALLE

